



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. Quænam requiruntur ad valorem Contractûs?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

ubi dicitur esse *ultra citroque obligatio*. Hinc contractus strictè sumptus differt à pacto, quòd hoc præscindat à mutua obligatione, ille verò semper mutuam inducat.

Q. 2. Quenam requiruntur ad valorem Contractus?

Resp. Quatuor 1. *Habilitas personarum ad contrahendum.* 2. *Capacitas rei, ut contractui subjiciatur.* 3. *Consensus mutuus, & quidem signo externo expressus; nam per contractum homo homini obligatur more humano, qui est ut signo sensibili explicet alteri consensum internum, qui ab eo acceptetur.* 4. *Forma substantialis à jure præscripta, si aliqua sit constituta: nam nulla res potest subsistere sine sua forma substantiali: alioqui illa forma simul esset substantialis, & non esset.*

Q. 3. Quomodo dividuntur Contractus?

Resp. Dividuntur 1. *In formalem, seu expressum, & virtuales, seu implicitum.* Contractus formalis, seu explicitus est ille, quo duo, vel plures expressè conveniunt de eadem re cum obligatione mutua, vel saltem unius erga alterum. Contractus virtualis, seu quasi contractus est, cum tacitè suscipitur obligatio Justitiæ ex facto aliquo licito, v. g. absentis negotiorum gestione, hæreditatis aditione,